Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

adiuuat nostram deuotionem. quoniam et secundum sui nominis ethimologiam. Nicolaus enim grece. eolice uictoria populi resonat. impetus ferocissimos repugnantium conterit. et castra iuuat uincere hostilia. Omnis quoque sexus omnisque conditio protectionis eius tutamen expetat. imploret suffragia querat auxilium. Nouit enim sanctus celesti palma potitus misericorditer subuenire afflictis. liberare oppressos. et pestiferos soluere ligatos. His ita premissis effundo aliquantulum coram illo preces. ut in fine huius pagine patrociniis fruamur. Oramus itaque te sanctissime ut humillimas nostre petitionis uoces attendas. affectum conspicias. et considerato nostre conditionis figmento hostem comprimas. expellas tyrannidem. dissidentes pacifices. tuearis presules. gubernes cleros. abbates dirigas. foueas monachos. et omnibus qui tua deuote sollempnia peragunt. celeste leuamen acceleres. nos quoque misellos simul qui operi glorie tue damus laudem. ex omni perturbatione insidiantium eripias. a suggestione spirituum inmundorum custodias. quatenus ihesu christo domino seruire mereamur. qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat deus per omnia secula seculorum. Amen.

De obitu sancti Nycolai.

Factum est autem ut ueniret beatus Nicolaus in Myrea ciuitate et fecisset orationem ubi sancti patres coadunati erant. et dedisset pacem omnibus reuersus est in monasterium suum. et ab infirmitate deprehensus est. et occubuit in lectulo suo. Et uenit ad eum mulier de uilla que uocatur Soclon. que habebat spiritum lunaticum et eum deprecabatur. Tunc fecit orationem super illam et sanauit eam. Illa autem mulier ut uidit se saluam factam. gratias egit deo et beato Nicolao. Cum autem uidisset se beatus Nykolaus grauiorem se esse ab infirmitate sua. cognouit quod appropinquaret exitus uite sue. Tunc cepit psallere et orare dominum. ut mitteret ei sanctum angelum suum et acciperet spiritum eius. Iuxta autem orationem suspiciens uidit uenientes archangelos in obsequium eius. inclinauit caput suum. et adorauit patrem et filium et spiritum sanctum. et cepit psallere psallere psalmum istum. In te domine speraui non confundar in eternum. in iusticia tua libera me et eripe me. Expleta autem oratione cum gloria patri. laudans dominum tradidit spiritum. astante illic germano suo Artheman presbytero. et alio archidiacono Nicolao nomine. Isti ambo pariter extenderunt se super collum eius. et ceperunt eum osculari. et flere amarissime. similiter et omnes qui ibi aderant fratres flebant nimis. Et factus est ibi clamor et luctus magnus. et inuentus est ibi paulus uenerabilis nomine. et cepit fratres admonere ut non fleant neque lugeant super eum. Ille autem paulus quem superdiximus. abiit in obuiam uenerabili episcopo philippo. qui ueniebat in obsequium. Veniens autem episcopus cepit canonicatum obsequium facere. beati Nicolai et sepeliuit eum. Finiuit autem uitam seruus dei Nicolaus episcopus sicut uoluntas dei fuit. mense decembrio die .vi. eiusdem mensis. sub tempore Ioniniani christianissimi et orthodoxi imperatoris. Eo tempore erat patriarcha Machari. Sic finiuit uitam iste gloriosus et angelorum uultu pater noster Nikolaus. Nos autem ueneramur ut intercedat ipse pro nobis ad patrem et filium et spiritum sanctum. cui est honor et gloria in secula seculorum amen.

De liquore olei ex eius sepulchro.

IGITUR postquam beatissimus Nicolaus ex hoc mundo migrauit ad dominum. tumulus iste ille in quo uenerabile corpus eius positum est olei liquorem et aque manare non desinit usque in hodiernum diem. ad quem locum ueniunt undique multitudines languentium claudorum cecorum aridorum surdorum atque inualidorum et qui uexabantur a spiritibus inmundis. qui ut eodem sancto liquore puncti fuerunt statim pristine redduntur sanitati. Michi uero fateor me semel et bis ex eadem aqua poculum sumpsisse. dum ipse tumulum sancti domini pro meis piaculis interpellarem Nicolai. Distat autem domus sancte Syon ubi requiescit idem confessor a menibus ciuitatis myree quasi tribus miliariis ad orientalem plagam secus uiam que ducit ad portum maris. quod dicitur adriaticum. Quodam itaque tempore episcopus myree ciuitatis cum in exilium a prefecto destinatus fuisset. statim aque elementum et sancti liquoris oleum effluere cessauit. Et tamdiu hoc usus est miraculo. quamdiu non est reuocatus ab exilio. Qui cum reuersus fuisset. et sedi proprie esset restitutus. statim ut antea oleum manare cepit ex tumulo et aqua. salus presentium infirmorum presidium futurorum. Vnde summopere considerandum est fratres karissimi quanti meriti uir iste fuerit. cui omnipotens deus tanta beneficia contulit. ut illius nomen laudabile per omnes nationes orbis terrarum quamdiu orbita mundi uoluatur semper accipiat incrementum. adiuuante utique domino nostro ihesu. Q. v. et R.

De nobili viro cedrone et eius filio a deo dato

SED si uestre karitati durum non est. uolo adhuc de mirabilibus beati Nikolai uobis enarrare miraculum. Beatus quippe et electus domini nostri Nykolaus archiepiscopus dum de hac luce migraret ad dominum. animam eius qui eam dedit illi. puram recepit. Clerici namque et sacerdotes sui dum hoc conspiciunt gratias egerunt deo qui ita sui confessoris animam cum gloria eleuaret ad celos. Tunc accepta aqua ut corpus lauarent beati Nicolai. apprehenderunt linthiamina sancti corporis et expoliare ce-